

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

M.A. Level Medieval Latin Examination

8 September 2004

Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Just another year according to Paul the Deacon

Fuit autem tunc hiems frigida nimis, qualem vix aliquis prius recolebat fuisse. In regione quoque Brionum sanguis de nubibus fluxit; et inter Reni fluvii aquas rivulus cruoris emanavit.

His diebus sapientissimus ac beatissimus Gregorius papa Romanae urbis, postquam alia multa ad utilitatem sanctae ecclesiae scripserat, etiam libros quattuor de vita sanctorum composuit; quem codicem dialogum, id est duorum locutionem, quia eum conloquens cum suo diacono Petro ediderat, appellavit. Hos igitur libros praefatus papa Theudelindae reginae direxit, quam sciebat utique et Christi fidei deditam et in bonis actibus esse praecipuam. Per hanc quoque reginam multum utilitatis Dei ecclesia consecuta est. Nam pene omnes ecclesiarum substantias Langobardi, cum adhuc gentilitatis errore tenerentur, invaserunt. Sed huius salubri supplicatione rex permotus, et catholicam fidem tenuit, et multas possessiones ecclesiae Christi largitus est atque episcopos, qui in depressione et abiectioe erant, ad dignitatis solitae honorem reduxit.

2. Two Tobits entertain an angel unawares

Tunc egressus Tobias, invenit iuvenem splendidum, stantem praecinctum, et quasi paratum ad ambulandum. Et ignorans quod angelus Dei esset, salutavit eum, et dixit: Unde te habemus, bone iuvenis? At ille respondit: Ex filiis Israel. Et Tobias dixit ei: Nosti viam, quae ducit in regionem Medorum? Cui respondit: Novi: et omnia itinera eius frequenter ambulavi, et mansi apud Gabelum fratrem nostrum: qui moratur in Rages civitate Medorum, quae posita est in monte Ectabanis. Cui Tobias ait: Sustine me obsecro, donec haec ipsa nuntiem patri meo. Tunc ingressus Tobias, indicavit universa haec patri suo. Super quae admiratus pater, rogavit ut introiret ad eum. Ingressus itaque salutavit eum, et dixit: Gaudium tibi sit semper. Et ait Tobias: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen caeli non video? Cui ait iuvenis: Forti animo esto, in proximo est ut a deo cureris.

3. A widow and her guardian present a dowry

Prefata domina Berta, consensu et parabola dicti Contri sui mundualdi ibidem presentis et sibi consentientis, dedit et concessit in dotem et nomine sue dotis Nerio quondam Guidi populi Sancti Georgii de Florentia, viro ipsius domine Berte futuro, de bonis que ad ipsam pervenerunt ex hereditate et bonis dicti olim sui patris, ut dixit, quandam peciam terre in partem vineatam positam ut dixerunt in comitatu Florentie in partibus de Mucello, cuius hos dixerunt esse confines: a primo latere via, a secundo heredum Nanni et Ghetti Giolle, a tertio fossatus, a quarto reservata dicti Contri, quam terram et vineam dictus frater eius dederat pro ea in dotem dicto Malinsacchato condam viro suo, quam post mortem dicti sui viri tenuit et possedit et tenet et possidet sicut dixit et quam dictus Contrus frater eius ipsi domine Berte elargivit et omni iuri sibi in ea competenti renunciavit et defendere promisit plenarie ab omni persona et loco et ab omni obligatione.

4. Thomas Aquinas on astrology

Quia tamen ad actus humanos non solum concurrunt voluntas et intellectus, qui impressioni siderum non subduntur, sed etiam sensitiva pars animae, quae in eo quod corporali utitur organo, necesse est quod corporibus caelestibus subiiciatur: potest dici, quod ex dispositione caelestium corporum aliqua inclinatio sit in nobis ad haec vel illa facienda, in quantum scilicet ad hoc inducimur per imaginariam apprehensionem, et per appetitus sensitivi passiones, scilicet iram, timorem et alia huiusmodi, ad quae homo est magis vel minus dispositus secundum corporalem complexionem, quae subditur dispositioni stellarum. Quia tamen homo per intellectum et voluntatem, imaginationis phantasmata et sensibilis appetitus passiones reprimere potest, ex stellarum dispositione nulla necessitas inducitur homini ad agendum, sed quaedam inclinatio sola, quam sapientes moderando refrenant. Propter quod Ptolomaeus dicit in *Centiloquio*, quod “sapiens homo dominatur astris,” idest inclinationi quae ex astrorum dispositione relinquitur. Stulti vero omnino secundum ea aguntur, quasi ratione non utentes: in quo parum discordant a bestiis.